

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1115

1113

1119

1109

1104

1064

1014

0614

0114

Ende

Anfang

542

amplius ad locum peregrinantur, ut dixi P. 1. fol. 74. Propter istos ergo Machometi peregrinos relicta ad moram peregrinatione mea cum eis contemplatione peregrinatus sum, ut viderem differentiam peregrinationis nostrae et peregrinationis eorum; nos enim peregrinamus ad sepulchrum Jesu Christi, filii Dei, et quaerimus reliquias sanctae Catharinae virginis castissimae; ipsi autem peregrinantur ad sepulchrum Machometi, filii diaboli et quaerunt servitia impudicissimae Veneris mereetricis.

Resumendo ergo peregrinationem nostram ulterius processimus et multos alios Sarracenos, Machometi peregrinos, obvios habuimus per littus maris rubri ascendentibus usque in Arabiam felicem, in qua Mecha ad oram maris rubri est sita, civitas bona et portus maris non mediocris, ad quem species aromaticae, piper, cariophylli, cingiber et hujusmodi in magna copia devehuntur et inde per peregrinos evehuntur in camelis et mittuntur etiam in Damascum Syriae et ad alia loca. Ratio, quare tot peregrinos Machometi obvios habuimus, est, quia eorum jejunium inchoaverat, ut patet fol. 74., et in eo, sicut et Christiani, libentius peregrinantur et illo tempore sunt etiam fervores solis mitigati.

Porro circa meridiem venimus ad quandam ingentem curiam cum habitationibus multis, quae erat diversorium, et ingressi curiam diversorii invenimus magnam cisternam et pretiosam, cum rotis, marginibus et cannis factam, quam dicebant esse cisternam Soldani, de qua boves continue aquam extrahebant. Ibi ergo praetereuntibus nostris camelis de asinis descendimus et aquam gustantes bibere non potuimus, quia erat calida, insipida et aliqualiter salsa, bestias tamen adauavimus. Puto hoc in loco ab antiquo suisser diversorium, quia undique ibi viae convenientes tendentes in Aegyptum, et forte ad hoc diversorium divertit Moyses, quando eum Dominus volebat interficere pro eo, quod filium suum Eliezer nondum circumcidet et ibi eum Siphora circumcidet, ut habetur Exodi IV. Quo viso ulterius processimus per illum adustum campum usque ad solis occasum et in loco campi, quem nominabant Choas, exoueravimus bestias ad manendum. Erat autem ventus fortissimus et durus et nulla vi potuimus erigere

